

bilitatum, aut quovis modo ab aggressione vita cessantem. Vide inferius dicenda de *injusto honoris invasore*.

*4<sup>o</sup> Ut mors aggressoris non intendatur in se*, scilicet directe et tanquam finis proprie dictus, sed tantum ut medium propriæ defensioni necessarium; nullus enim propria auctoritate alterum occidere potest, sed propria intendenda est defensio, bona et licita, ex qua, præter intentionem, sequitur alterius mors, et etiam sæpe alterna ejus damnatio, quæ occidenti imputari non potest. Licet enim ponere causam ex se bonam duos habituram effectus, unum bonum et alterum malum, solum bonum intendendo et malum permittendo.

*5<sup>o</sup> Notandum* hanc præsentem doctrinam sic intelligendam esse ut quilibet invasus quemlibet injustum aggressorem licite possit occidere in legitima sui defensione; charitas enim bene ordinata incipit a semetipso, et nullus, cæteris paribus, alterius vitam propriæ vite anteferre tenetur. Unde clericus sicut laicus in injusta agressione se defendere potest adversus quemcumque aggressorem, sive inferiorem, sive superiorem, sive affinem, sive consanguineum, sive culpabiliter, sive inculpabiliter invadentem, sive invasus occasionem aggressioni dederit, v. g., per calumniam, dictionem, adulterium, sive non, etc.

Ut probabile tamen docet *Billuart* invasum qui prudenter judicat se in malo statu non versari, mortem oppetere teneri potius quam se defendere cum occisione aggressoris in statu peccati mortalis constituti a quo tunc se expedire non potest, puta, quia est ebrius, furiosus, rabidus, etc.; tunc enim aggressor est in extrema necessitate, et invasus ei subvenire tenetur etiam cum detimento propriæ vita.

Nollemus contendere hoc esse de præcepto, sed procul dubio bonum est et opus virtutis valde commendandum; imo quilibet privatus, quamvis injustum aggressorem occidere possit, ad id tamen non tenetur, sed meritorie propriam daret vitam, exemplo Christi et martyrum, potius quam vitam alterius eripere et eum in æternam damnationem conjicere; secus dicendum, si homo pu-

blicus et ad bonum commune necessarius aut valde utilis esset: in eo casu vitam suam defendere teneretur.

*Petitur* an injustum vite proximi invasorem occidere liceat.

*R. affirmative*, quia proximum sicut nosmetipsos diligere debemus. *Ita communissime theologi*. Excipiunt nisi aggressor sit pater, mater, filius vel conjux, quia parentes, proxime consanguineos et affines plus diligere tenemur quam extraneos.

Petunt insuper theologi an sit obligatio injustum proximi invasorem occidere, et communiter negant; 1<sup>o</sup> quia uterque est proximus, et non est obligatio uni succurrendi cum pari alterius detrimento; 2<sup>o</sup> quia injustus aggressor, ut pote peccati mortalis reus, æternaliter periret, ac proinde magis periclitatur; 3<sup>o</sup> addemus, quia actus hominem occidendi graviter repugnat, et obligatio eum exercendi non facile est imponenda.

Talis tamen existeret obligatio si invasus esset pater, mater, filius, conjux aut alius titulo speciali conjunctus; vel existens in peccato mortali a quo tunc liberari non potest, v. g., quia est ebrius, aut aliter ratione privatus; vel ad bonum commune necessarius, ut princeps, dux exercitus, episcopus, etc. In his ultimis casibus unusquisque privatus invasum defendere deberet cum evidenti propriæ vita periculo, quia vita æterna proximi et bonum commune etiam temporale vita privati præstant.

*De injusto bonorum fortunæ invasore.*

1<sup>o</sup> Furem occidere non licet pro servandis aut recuperandis bonis parvi momenti; vita hominis talibus bonis evidenter præstat. *Ita omnes*, et ideo Innocentius XI sequentes damnavit propositiones, anno 1679: « Regula riter possum occidere furem pro conservatione unius aurei. Non solum licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus et quæ nos possessuros speramus. » Sunt 31<sup>a</sup> et 32<sup>a</sup>; adhuc citari posset 33<sup>a</sup>.

2º Similiter apud omnes constat furem licite occidi non posse etiam pro servandis aut recuperandis bonis magni momenti, si alia suppetat via ea retinendi, vel eorum restitutionem obtinendi, v. g., clamando, percutiendo, ad judices appellando, etc. Tunc enim proximus sine justa causa occideretur, *ut patet*. Imo nec in his casibus licite mutilaretur, propter eamdem rationem.

3º Quæstio est igitur an furem occidere liceat ad servanda vel recuperanda bona magni momenti quæ aliter servari aut recuperari non possunt. Valde scinduntur theologi: *S. Antoninus*, et multi cum illo, inter quos *Suarez*, *Lessius*, *Sylvius*, *Covarruvias*, *Viva*, *Ferraris*, *S. Ligorius*, etc., contendunt id licitum esse; 1º quia hujusmodi bona ad vivendum secundum proprium statum necessaria sunt: unde si injustum vitæ aggressorem occidere liceat, et talium bonorum invasorem; 2º charitas exigit quidem ut bona altioris ordinis proximi in necessitate extrema constituti bonis nostris inferioris ordinis præferamus; non vero quando proximus pericolo se sponte exponit, alioquin subverteretur ordo: perversi enim homines non furarentur apud improbos, quia eos formidarent, sed bonos Christianos impune spoliarent, persuasum habentes se ab illis occidi aut mutilari non posse.

Alii vero multi recentiores, ut *P. Antoine*, *Collet*, *Bilhuart* qui dicit præcedentem opinionem antiquari et oppositam evasisse communiorem, theologus Romanus, *Ferraris* annotator, etc., negant quandoque licitum esse bona fortunæ cum occisione invasoris præservare: nituntur præcipue 1º textu Exodi, ubi qui occidit furem diurnum dicitur reus sanguinis; 2º testimonio *S. Aug.* qui, præfatum explicans textum, dicit eum qui occidit furem, orto sole, reum esse sanguinis, quia poterat discerni quod ad furandum et non occidendum veniret; 3º auctoritate juris canonici in quo refertur responsio *Alexandri III*, Decretal. 1. 5, tit. 12, cap. 10, statuens monachum qui furem vestium occiderat, irregularitati et penitentiæ subjiciendum esse, et dicentis: «Expediebat potius post tuni-

» cam relinquere pallium, et rerum sustinere jacturam, » quam pro conservandis vilibus rebus et transitoriis » tam acriter in alios exardescere; » 4º præcedentibus propositionibus ab Innocentio XI damnatis; 5º auctoritate cleri Gallicani doctrinam contrariam fere expresse reprobantis anno 1700; 6º ratione, et præsertim quia vim vi repellere non licet, nisi *servato moderamine inculpatæ tutelæ*: at moderamen inculpatæ tutelæ non servatur nisi adsit proportio inter rem quæ defenditur et vitam invasoris; secus eum occidere liceret etiam pro uno aureo, pro uno fructu, quod est absurdum; ergo.

Attamen *S. Ligorius*, lib. 3, n. 383, affirmat priorem sententiam esse probabilissimam et communem.

#### *De invasore pudicitiae.*

Certum est puellam aut mulierem vi oppressam, pudicitiae sue invasorem occidere vel graviter mutilare non posse, si aliter eum repellere possit, v. g., verberibus, unguibus, clamoribus, etc. *Ratio patet.*

At, supposito quod suam pudicitiam servare non possit nisi aggressorem occidendo vel graviter mutilando, plurimi nolunt id licitum esse; nam 1º hic casus nec in Scriptura, nec in Patribus, nec in conciliis, nec in summorum Pontificum decretis a prohibitione generali, *Non occides*, excipitur; 2º pudicitia, cum sit virtus, non in corpore, sed in anima residet: igitur invita voluntate amitti non potest: vita autem et præcipua membra invasoris præstant honore materialiter tantum offenso; 3º si invasor in tali casu occideretur, aeternaliter periret: porro salus ejus aeterna pudicitia materialiter spectata longe præstat: ergo, etc.

Alii vero multo plures et forte probabilius contrariam tenent opinionem, dicentes 1º pudicitiam etiam materialiter spectatam esse bonum præstantius bonis fortunæ; honestam mulierem malle omnibus bonis et saepe vita privari, quam turpiter pollui. Ergo, ut ait *S. Antoninus*,

« si licet non solum se, sed et bona sua defendere, quare etiam, ne pudicitiam amittat? » 2º Puella vi oppressa in maximo versatur periculo consentiendi actui libidinoso; si consentiret, graviter peccaret: ergo saluti suae providere potest etiam mutilando et occidendo; judicabitur consensisse et manebit infamata si res fuerit nota: ergo, juxta communiorem sensum, se defendere potest usque ad oppressoris mutilationem et occasionem; imo et debet periculo propriæ vitæ sese exponere, si rationabiliter timeat se consensuram esse.

Prioris sententiae patroni saltem fatentur bonam fidem sapissime excusare posse puellam vel mulierem sic oppressam et invasorem occidentem.

*De injusto honoris invasore.*

*Certum est* 1º non licere, ob quamcumque injuriam vel contumeliam, aliquem occidere, v. g., quia homini honorato dicit: *Mentiris*; aliter enim injuria repelliri aut reparari potest, et aliunde nullam habet proportionem cum alterius vita.

*Certum est* 2º aliquem licite occidi non posse ob injuriam ab eo acceptatam, ob calumniam factam, etc., quia tunc esset vindicta propria auctoritate illata, quæ semper est prohibita. Imo nec licitum est, ob eamdem rationem, reddere injuriam pro injuria, calumniam pro calumpnia, alapam pro alapa, etc.

*Certum est* 3º detractorem, calumniatorem et injuriis sufficientem occidere non licere in ipsomet actu detrahendi, calumniandi, etc.; quia malum jam est factum, et per occasionem detractoris, calumniatoris aut injurias inferentis non repararetur: mera igitur esset vindicta.

*Certum est* 4º non licere eum morte vel mutilatione prævenire qui parat injuriam, calumniam, falsam accusationem aut sententiam, quia 1º aggressio non est actualis; 2º via innumeris aperiretur cædibus; 3º proportio æqualitatis non servaretur; 4º sequens propositio fuit damnata ab Alexandre VII et clero Gallicano, in comitiis

anni 1700: « Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare. » Ergo.

5º At si aggressor fustem vel alapam viro valde honesto impingere conaretur, et per solam occasionem repelliri posset, liceretne eum occidere, an fugiendum esset? Si turpe non esset fugere, certe fugiendum esset, quia sufficiens evidenter non existaret ratio vitam alterius eripendi ad se defendendum. Si vero turpe esset fugere, v. g., viro nobili, officiali bellico, occisio esset licita, juxta Busenbaum, S. Ligorum et alias plures; alii autem communiter negant, et rectius, ut nobis videtur; quis enim serio dicet turpe esse Christiano etiam nobili vel officiali bellico fugere, præcise ut alium non occidat quem occidere posset? Fieri tamen potest ut in eo casu occidens bona fide a peccato excusetur.

#### ARTICULUS QUARTUS.

##### DE OCCISIONE INNOCENTIS.

Dicemus 1º de innocentie in genere, et 2º de procuratione abortus.

*De innocentie in genere.*

1º Si Deus, supremus vitæ et mortis dominus, præcipiat aliquem innocentem occidi, procul dubio ipsi obtenerendum est, ut omnes fateri coguntur. Hinc Abraham licite occidisset Isaac, parvuli urbis Jericho licite occisi sunt ab Israelitis, Jos. vi, 21, et septuaginta filii Achab a viris Samariæ, IV Reg. x, 24-26.

2º Nunquam licet innocentem directe et ex intentione occidere, quia 1º prohibitio Dei in Exod. xxiii, 7: *Insontem et justum non occides*, est generalis: 2º quia nihil ostendit Deum, vitæ et mortis supremum dominum, mortem innocentis directe volitam permisisse. Permisit qui

dem malefactoris occisionem, et ratio hujus permissionis patet : sed præsumi non potest eum permisisse ut occidentur innocentes, qui sunt principalior et dignior pars societatis. Ergo. Hinc 1° graviter vulnerati et alii cum morte luctantes occidi non possunt ne diutius patientur, nec rabidi ne aliis noceant ; 2° innocens cuius tyrannus petit caput ut conditionem non subvertendi urbem, trucidari non potest, etiamsi consentiret, quia fieret malum ut eveniret bonum ; sed mitti potest etiam invitus ad tyrannum qui eum petit, et consentire tenetur pro bono publico ; si non consentiat, fitreus, et princeps vel respublica jure suo utitur eum mittendo, atque manifesto per eundi objiciendo periculo : ratio est, quia actio eum tradendi non est mala in se ; mors quippe ex hac traditione non sequitur necessario, sed ex mala tyranni voluntate.

*Ita communiter auctores.*

3° Licet, ob gravem causam, ponere actionem in se bonam ex qua, præter intentionem, sequitur mors innocentis ; nam, ut saepe diximus, licet ponere causam duos immediate habituram effectus, unum bonum et alterum malum, solum bonum intendendo, et malum permittendo, modo adsit ratio sufficiens malo effectui secuturo proportionata. Ergo. Unde 1° in bello justo licet occidere innocentes cum nocentibus, si victoria aliter obtineri non possit ; 2° qui equo vel curru ascensus hostem aliter fugere non potest, nisi conculcando in via angusta claudum, dormientem, infantem baptizatum, etc., ab homicidio excusatur ; 3° card. de Lugo, Busenbaum et alii excipiunt casum in quo conterendus esset infans non baptizatus, quia fundenda est vita temporalis pro vita ejus æterna : idem dicendum videtur de peccatore ebrio, qui pariter in extrema necessitate est ; sed saepius saltem bona fides excusabit.

#### *De procuratione abortus.*

Revocandum est in mente quod in Tractatu de Baptismo diximus circa tempus quo fetus coepit animari ; pro-

babile est eum anima donari statim ac incipit esse fetus humanus, ac proinde longe ante tempus ab Aristotele et antiquis assignatum, videlicet quadraginta dies pro matribus et octoginta pro feminis.

Justamen canonicum, de animatione vel inanimatione fetuum loquens, hanc veterum sententiam supponit, veritatem ejus fundamenti non requires ; et admitti debet ubi de poenis ecclesiasticis agitur ; odia enim sunt restringenda et non augenda. *His notatis,* *od terribiles*

*1° Quicumque abortum procurare tentat in se vel in altera persona, graviter peccat, sive fetus sit animatus, sive non : in priori casu, verum est homicidium ; in posteriori, est actio ad occasionem hominis tendens et contra naturam. Ita omnes.* Unde in Codice poenali nostro statuitur, art. 317 : « Quiconque, par aliments, breuvages, » médicaments, violence ou par tout autre moyen, aura » procuré l'avortement d'une femme enceinte, soit qu'elle » y ait consenti ou non, sera puni de la réclusion. La » même peine sera prononcée contre la femme qui se » sera procuré l'avortement à elle-même... Les médecins, » chirurgiens et autres officiers de santé, ainsi que les » pharmaciens qui auront indiqué et administré ces » moyens, seront condamnés à la peine des travaux » forcés à temps dans le cas où l'avortement aurait eu » lieu. »

In nostra diecesi, quilibet abortus voluntaria tentatio, sive fetus sit animatus, sive non, sive effectus sequatur, sive non, est casus reservatus. *Stat. diec. p. 116.*

Hinc Innocentius XI sequentem damnavit propositionem, n. 24, anno 1769 : « Licet procurare abortum ante » animationem fetus, ne puella deprehensa gravaida occidatur vel infametur. »

2° Plures graves theologi, ut Sanchez, Layman et Sylvius, arbitrati sunt matrem in extrema necessitate constitutam, uti posse pharmaco ad expellendum directe fetus inanimatum sibi nocivum, quia est pars viscerum, et pars pro conservatione totius resecari potest; aliunde talis fetus considerari potest ut actualis vitæ matris ag-

gressor licet involuntarius : porro aggressorem etiam involuntarium occidere licet ad servandam propriam vitam. Alii vero longe communius negant hoc esse licitum, quia est actio ex se occisiva, nativitatem hominis impediens et essentialiter mala; rationes adversariorum oppugnant, dicentes 1º fetum ad integratatem corporis matris non pertinere, sed inchoativum esse individuum; 2º non esse actualem vitæ aggressorem, ac proinde expelli non posse; 3º omnes fatentur fetum animatum directe occidi non posse ad salvandam matrem; at semper incertum est an fetus jam conceptus nondum sit animatus : ergo.

Hinc obstetrics et medici videntes mulierem gravidam naturaliter parere non posse, fetus in utero ejus dispergere non possunt, nisi constet eum esse mortuum, et mulier tali barbaræ discriptioni consentire non potest; sed exspectandus est eventus, et, muliere mortua, venter ejus erit aperiendus ut infans baptizetur et salvetur, si fieri potest.

3º Si constaret fetus non esse animatum, licitum esset, ex communi sententia, dare mulieri et ei sumere remedium ex se matris curativum, nec ad abortum tendens, quamvis sit periculum ne inde sequatur; quia tunc si sequatur, non censemur procuratus, sed tantum permisus : at si fetus sit animatus, aut dubitetur an sit animatus, non licet adhibere hujusmodi remedium cum periculo mortis fetus, quia mater æternam prolixi suæ salutem propriæ vitæ temporali præferre debet. *Est sententia communis.* Verum si æquale sit periculum abortus sive remedium sumatur, sive non, illud adhibere licitum est, quia sine majori periculo fetus vitæ matris consultur.

4º Nunc nova cœpit invadere praxis : si medici et chirurgi prævideant fetus ad maturitatem perventum naturaliter egressum non fore, ob malam feminæ conformatiōnem aliamve causam, partum, ope quarundam preparationum, anticipant: affirmatur infantem sic præmature eductum non tam periclitari quam in partu valde

laborioso aut moraliter impossibili. Hoc posito, talis operatio certe non est damnanda, cum saluti infantis et matris simul provideat.

5º Sixtus V, per bullam *Effrenatam*, diei 29 oct. 1588, statuerat 1º clericos abortum quovis modo procurantes vel ad illum concurrentes fieri irregulares, et laicos ad suscipiendos Ordines inhabiles; 2º in foro ecclesiastico degradandos et curiæ sæculari tradendos ut ultimo afficerentur suppicio; 3º easdem poenas exercendas esse contra eos qui potionis sterilitatis propinarent, et mulieres ipsas quæ eas scienter sumerent; 4º omnes in eo reatu deprehensos, ipso facto excommunicatos judicandos esse; 5º hanc censuram pontifici Romano esse reservatam, et per quamcumque indulgentiam aut per Jubilæum solvi non posse, sine speciali dispensatione.

Gregorius XIV, per Constitutionem *Sedes Apostolica*, diei 31 maii 1591, bullam prædecessoris sui in quibusdam punctis reformavit: 1º permisit ut Ordinarii locorum a dicta excommunicatione absolvere possent per se vel per alium presbyterum a se deputandum; 2º poenas a Sixto V latae ad poenas jure communi statutas restrinxit, vide licet ad excommunicationem, irregularitatem, si fetus sit animatus; privationem beneficii, si crimen sit juri dice probatum, et ad inhabilitatem titulos ecclesiasticos acquirendi.

Episcopi dispensare non possunt in ea irregularitate, quia provenit ex homicidio, et, ex dispositione concilii Trid., sess. 24, cap. 6 de Reform., dispensare non possunt super irregularitate ex homicidio etiam occulto proveniente.

#### ARTICULUS QUINTUS.

Duellum apud Graecos monomachia, est certamen inter duos vel etiam inter plures in pari numero, ex condicto initum, et periculoso. Est sententia communis. Unde propositio et acceptatio certaminis, effectu non

sequente, pugnæ exercendi corporis vel agilitatis aut fortitudinis ostendendæ causa factæ, ut olim *les tournois*, rixæ in quibus unus contra plures, vel plures contra unum, aggressio et defensio subita ex contentione aliave causa nata et improvisa, etc., ad duellum proprie dictum, prout ab omnibus intelligitur, non referuntur.

Duellum suscipi potest publica vel privata auctoritate.

1º Duellum publica auctoritate susceptum aliquando licitum esse potest; semper enim laudatus fuit David eo quod singulariter pugnaverit cum Goliath: porro similes occurrere possunt causæ eis quæ illum ad dimicandum inclinaverunt; v. g., princeps, de justitia causæ suæ certus, sed copiis longe inferior, duellum proponere, acceptare vel ab aliquo e suis acceptandum, jubere potest, ut evidentem populi ruinam in dubiam spem victoriæ mutet; item si, ex recusatione duelli oblati, futurum sit ut hostes fiant audacieores, et proprii milites dejectiores.

His autem casibus vel aliis similibus exceptis, princeps mortaliter peccaret permittendo duellum, v. g., ad ostentationem, ad spectaculum, ad vindictam, ad terminandam litem, ad probandum crimen vel ad demonstrandam innocentiam: quia, in his circumstantiis, tendetur ad malum finem, vel ad bonum per medium improportionatum et illegitimum.

2º Plures, inter quos *Lessius*, *Sanchez*, *Layman*, *La Croix*, etc., opinati sunt virum nobilem vel militarem acceptare posse duellum et quandoque illud offerre, si alias amissio honore in exercitu, privandus esset officio quo se et familiam suam sustentat: quia in eo casu non solus honor defenditur, sed bona ad vitam necessaria ipsaque vita. Verum ea opinio omnino rejicienda est, et quodlibet duellum, privata auctoritate susceptum, est peccatum mortale. Constat 1º ex Scriptura sacra, nempe mandato, *non occides*: his verbis, omnis occisio, sive sui, sive alterius, privata auctoritate intenta, prohibetur; eo ipso voluntarium hujusmodi occisionis periculum interdicitur: porro qui duellum proponit vel acceptat, periculo sui vel alterius occisionis sese exponit: ergo;

2º ex Concil. Trid., sess. 25, cap. 29 de Reform., ubi legitur: « Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo » introductus, ut cruenta corporum morte animarum » etiam perniciem lucretur; » 3º ex multis summorum Pontificum Constitutionibus, ut Nicolai I, Cœlestini III, Innocentii II, Eugenii III, Alexandri III, Innocentii IV, Julii II, Leonis X, Clementis VII, Pii IV et demum Bened. XIV qui, in Constitut. *Detestabilem*, 13 nov. 1752, Constitutiones prædecessorum suorum renovans ac confirmans, sequentes damnavit propositiones: « Vir » militaris, qui nisi offerat vel acceptet duellum, tan- » quam formidolosus, timidus, abjectus et ad officia » militaria inaptus haberetur, indeque officio quo se » suosque sustentat privaretur, vel promotionis alias sibi » debitæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa » et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum. — » Excusari possunt, etiam honoris tuendi, vel humanæ » vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel » illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non » esse secuturam, ut pote ab aliis impediendam. » 4º Omnia jura civilia duellum olim sub gravissimis poenis prohibebant. Detestando prævalente usu, nulla in duellantibus per longum tempus apud nos poena directa est: nunc autem in illos sævit, ex Curiæ Cassationis decisione diei 22 junii 1837, cui pluries curiæ appellationis sapientissime adhaeserunt. Optandum tamen esset ut in eo jurisprudentia adeo clara et inconcussa, v. g., lege positiva, fieret, ut omnia tribunalia eodem modo judicarent. 5º Pluribus rationibus in Philosophia nostra morali relatis. Ergo.

Qui ergo ad duellum provocatur, semper protestari debet se nunquam esse acceptatum, quia tali medio honorem defendendi vel reparandi religione et ratione reprobato abhorret, sed inopinata lacessitum se defensurum; et si quis reipsa eum statim aggrediatur, vim vi repellere poterit, juxta ea quæ diximus ubi *de injusto vitæ aggressore*.

3º Duellantibus et ad duellum positive concurrentes, ut